



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

21 Quantum teneatur restituere, qui modum iustæ defensionis exceßit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

D V B I T A T I O X X I.

Quantum teneatur restituere, qui modum iustæ defensionis excessit.

133 **R**espondeo, & Dico Primò, Qui ab altero fuit prouocatus ad pugnam, etiam si modum fortè excessit, non tenetur ad restitutionem. ita multi recentiores. Ratio est; Quia prouocans videtur ei condonare, dum facit ei potestatem, vt contra se agat quod poterit. Idem docet Bañes qu. 62. art. 2. dub. 5. vbi dicit, eum qui voluntariè se exponit periculo, prouocando alterum ad certamen, si occidatur, non esse iniustam occisionem respectu illius, sed solum respectu Reip. vel Dei, qui est Dominus specialis vitæ. & paulò antè dicit, talem renuntiare iuri suo, etiam si in damnum filiorum id cedat. Idem videtur dicendum, quando duo prouocant se vicissim, & pari consensu pugnam aggreduuntur.

134 Dico Secundò, Qui inuaditur ab altero sine prouocatione, si iustam moderationem notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo suum inuasorem, tenetur integrè damna compensare. Ita docet Nauar. c. 15. n. 27. & plerique hoc tempore. Ratio est; Quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & est causa totius damni: sicut is qui dolo vel latà culpà est alteri causa damni.

Dices, Qui alterum iniuste aggreditur aperta vi, vel ex insidiis, & occidit, maiorem infert iniuriam, quàm qui inuasus, & rei indignitate commotus, occidit aggressorem: ergo ad maiorem tenetur restitutionem.

Resp. negando conseq. Non enim quantitas restitutionis, ex iniuriæ quantitate æstimanda est, sed ex quantitate damni per iniuriam mortiferam illati. itaque cum hic interuenerit iniuria, quæ sit peccatum mortiferum, integrè damnum sarcieendum est. Secus est in pœna; hæc enim respondet iniuriæ, non damno: vnde vbi maior fuit iniuria, maior quoque pœna est irroganda.

135 **A**duerte tamen, quosdam DD. ob argumentum prædictum docere, eum qui modum iustæ defensionis excedit, non teneri tantumdem restituere, quantum aggressorem, qui ex insidiis vel aperta vi occidit; sed multò minus. Ita Angelus, Restitutio 1. §. Homicida, Siluest. Restit. 3. quæst. 2. & Gomezius tom. 3. cap. 3. num. 38. Idem docet Sotus lib. 4. de Iustit. q. 6. a. 3. ad tertium. Vbi notandum est, Siluestrum non loqui de pœna propriè dicta, (vt Nauarrus eum exponit) sed de restitutione damnorum, quam vult fieri iudicio boni viri: de qua etiam apertè Gomezius & Angelus. Quæ sententia mihi videtur probabilis, & consentanea æquitati naturali. etsi enim damnum illud par sit, siue hoc, siue illo modo illatum sit; & compensatio non sit æstimanda ex indignitate rei, vel magnitudine iniuriæ; tamen is qui alterum inuadit, videtur ex parte amittere ius ad compensationem damni: nam sibi ipsi est causa mali; alterum iniuste inuadendo. quare si occidatur vel lædatur, sibi ex parte debet imputare. Deinde difficillimum est, iustum temperate dolorem, vt ait Angelus. Quare æquitas naturalis videtur postulare, vt non tam seuerè teneatur omnia damna rependere; idque communis humani generis sensus approbare videtur.

Dico Tertiò, Qui inuasus ab altero, potest fugere, vel aliter declinare, etsi id non faciat, sed debita moderatione, se vel sua defendens occidat inuasorem; non tenetur ad restitutionem.

Probat, Quia non peccauit contra iustitiam, sed solum contra charitatem, vt ostensum est supra dub. 15. & 16. non enim ex iustitia tenebatur fugere, vel à via declinare.

Confirmatur, Quia nemo ex sua malitia, qua vult alterum inuadere, acquirit Ius in illum, quo illum obliget ad fugam, ita vt nisi fugiat, vel patiatur se interfici, censeatur ipsi facere iniuriam: sed solum tenetur fugere ex charitate, si sine honoris dispendio possit: & Ecclesiasticus tenetur etiam lege religionis; ne videlicet non fugiendo, aliquid committat, quod sanctitatem status ipsius dedecet; lege tamen iustitiæ non magis tenetur quàm secularis.

Dico Quartò, Idem omnino dicendum de eo, qui alium contumelia, vel alia iniuria affecit; si ab illo inuasus, iusta ratione se tueatur, & illum occidat, non tenetur ad homicidij compensationem. est contra Nauar. cap. 15. num. 7. ita tenet Nauarra lib. 2. c. 3. n. 362. ex Siluestro & Mercato. Colligitur ex dictis supra dub. 15.

Probat, Quia is qui iniuriam alteri intulit, si armis ab eo inuadatur, potest se cum iusta moderatione tueri; præsertim venia petita, vel satisfactione oblata: quia alter tunc nullum ius habet sic inuadendi priuata auctoritate. ergo si eum occidat, non facit ei in hoc iniuriam. Confirm. Quia inuasor non habet ius iustitiæ in alterum, vt ille se non defendat; neque etiam vt fugam capeat: sed solum vt satisfactionem pro iniuria offerat. ergo si moderatione debita se defendens occidat inuasorem, non facit contra ius ipsius; ac proinde non peccat contra iustitiæ: sed habet se illa occisio tamquam per accidens, & mediante alterius malitia proueniens, occasione operis iniuriosi. vt si quis seipsum occideret præ impatentia, quia domum eius succendi, non censeret ego idcirco homicida: nam ista actio iniuriosa, non est verè iniuriosa, respectu occisionis, per accidens ex ea proueniens, sed solum est contra charitatem, vt supra dubit. 16. num. 112. ostensum. vnde nec obligat ad restitutionem, causa mortis illatæ.

D V B I T A T I O X X I I.

Utrum quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio.

Semma Rosella, Restitutio 3. & quidam recentiores dicunt tunc non deberi aliam compensationem; quod etiã videtur sentire Scotus dist. 15. q. 3. art. 2. Gabriel ibidem quæst. 15. art. 2. Angelus Restitut. 1. §. Homicida; Adrianus quæst. vlt. de Restitut.

Respondeo, Verius est, in rigore omnia damna ex homicidio secuta, ex bonis homicidæ sarcienda. Ita Nauar. cap. 15. n. 25. Couarr. lib. 2. Variar. cap. 10. n. 7. circa medium. Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 37. & alij. Ratio est; Quia pœna infligitur à Iudice, non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria Reipub. & legibus illata vindicetur, aliisque terrore incutiatur. Vnde etiam ea crimi-